

rent. Hinc pergit Tertullianus l. c. *Sed vulgus invidet, existimans nihil superesse post mortem.* Et post pauca interjecta: *Plane cum vulgo interdum & sapientes sententiam jungunt, Nihil esse post mortem Epicuri schola est.* Ait & Seneca omnia post mortem finire, etiam ipse, Idem tract. de præscript. advers. hæret. c. 8. *Ut carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorum scholâ sumitur.* Apud Minutium Felicem Cæcilius Christianis insultat h. m. *Nec hac furiosâ opinione (de interitu mundi) contenti ANILES FABULAS adstruunt & adnectunt: renasci se ferunt post mortem, cineres, & favillas, & nescio qua fiducia mendacis invicem credunt, putes eos jam revixisse.* Augustin. in Psalm. 88. *In nulla, inquit, re, tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixè & contentiose contradicitur fidei christiænæ, sicut de CARNIS RESURRECTIONE.* Nam & de animi immortalitate multi etiam Philosophi gentium multa disputaverunt, & immortalem esse animum humanum pluribus & multiplicibus libris conscriptum reliquerunt. Cum ventum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubant, sed apertissimè contradicunt, & contradictio eorum talis est, ut dicant *FERI NON POSSE*, ut caro ista terrena possit in cælum ascendere. Unde de Synesio Philosopho quodam Platónico refert Nicephorus histor. Ecclesiast. L. 14. c. 55. Cum ei Theophilus Alexandrinus, ut salutarem reciperet regenerationem, jam persuasisset, illum se *AD ALIA* quæ Christiani profitentur, promptum & facilem præbuisse, *RESURRECTIONIS* vero doctrinam primum minime recepisse, *NEFANDAM* eam & *DETESTANDAM* judicans.

§. 7.

Huc pertinet illud Lucretii l. 3.

*Nec quisquam expergitus extat,*

*Frigida quem semel est vitæ pausa secuta.*

Et quem fugere potest detestanda Plinii impietas, qui non tantum lib. 2. Hist. N. c. 7. *Deum non posse mortales aternitate donare, aut REVOCARE DEFUNCTOS*, palam fateri, sed & lib. 7. c. 55. sequentia eruere non erubuit: *Omnibus à suprema die eadem quæ ante primum. Nec magis à morte sensus ullus aut corpori aut animæ quam ante natalem. Quæ, malum, ista dementia est, iterari vitam morte? Inde facilius certiusq; reur sibi quemq; credere, ac specimen securitatis antegenitali sumere experimento.*

§. 8. Ipsa